

amplissimæ huius philosophiæ ratio sit abstrusa:  
quam nec puerilis, neque subitæ, neque feræ perce-  
ptionis esse, testes habeo, quotquot his sacris vnquam  
ferio sunt operati. Atque hæc est quædam quasi pere-  
grinatio, non Vlyssis alicuius, qui tot errorum am-  
bagibus paruulum orbis spatium emensus, lucrum a-  
liud nullum, quam versutias & sublestam fidem re-  
tulit: non hodierni alicuius nepotuli, qui deliciosæ  
discursationis præmium, contemptu patriæ & scientia  
factus, per quædam mirifici soni cymbala & crepita-  
cula plebeio stupori promulgat: non despecti erronis  
alicuius, qui cum ab exterorum fastidio nulla bona  
arte se suaque potuit redimere, domum reuersus ven-  
ditari amat pro oraculo: non cuiusquam, qui cum  
vnam regionem vidit, mille alias ignorat: Sed illius,  
qui in vniuerso orbe, qua humanus est, non qua lapi-  
deus, aqueus, luteus, vel aureus etiam ac gemmeus  
apparet; nec inter mensas & pocula, inter salutatores  
in atrio, inter turbam incompitis; verum in perpe-  
tuo quodam sapientiæ augustali, inter arcanas admis-  
siones & perfectissimas curas illuc profecit, quo itine-  
ribus & itinerum vsu aspirare nemo potest. Is iam erit  
Berneggerus, qui licet incredibili teneretur desiderio,  
coram arbitrandi, quæ in partibus terrarum cultissi-  
mis litteræ commendarent, suamque viris passim il-  
lustri-